



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

II. De cessationis effectibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

7. *Causam exhibe cessationis materialem.* Proxima quidem, ob quam cessatio imponitur, est delictum, & culpa manifesta, quæ grauis valde debet esse, & grauior eâ, ob quam ponitur interdictum.

8. *Finis quinam?* Remotus finis cessationis est respiscencia, & emendatio illius, cuius causa lata est cessatio.

CAPVT II.

De cessationis effectibus.

9. *Quinam sint effectus cessationis? An officia eo tempore recitari possint?* Tempore cessationis tam generalis, quam particularis à diuinis officiis publicè recitandis, vt ab Horis Canonicis abstinetur. Item à Missa publicè celebranda, etiam si moderatio seruetur.

10. *Num sacramenta conferri valeant?* Sacramentum ordinis cessationis tempore, aut Extremæ-vnctionis nec laicis, nec Clericis conferuntur. Porrò alia sacramenta, præcipuè Baptismus, conferenda sunt, ob illorum necessitatem. *Quid de Matrimonio?* Licitum non videtur illud contrahere, nisi in articulo mortis ad legitimationem prolis, aut ad fœminæ alicuius nobilis decus necessarium esset, dum non facile dispensatio esset acquirenda.

11. *Quidam de sacra sepultura?* Cessatio priuat laicos sepulturâ sacrâ saltem quoad diuina officia, etiam quo ad eos, qui habent sepulturæ priuilegium tempore interdicti.

12. *Quàm grauis est cessationis violatio?* Violans eam grauius peccat, & irregularitatem, vel excommunicationem incurrit. *Tenetur ne ad aliquam satisfactionem is, cuius causa cessatio lata est?* Tenetur quidem ad sarcienda omnia damna Clericis, qui seruare cessationem coacti sunt, & distributiones amiserunt, vel alia damna subiere.

CAPVT III.

De Pœna Depositionis, & Degradationis.

13. *Quid est Depositio?* Propriè accepta pœna quædam est Ecclesiastica, qua Clericus munere Clericali priuatur,